Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tutior: illa senectute probatur. Virginitas laus etatis est, nec adiumenta querit annorum que omnium est fructus etatum. Adolescentiam decet, iuventutem ornat, amplificat senectutem, omniumque suo habet usu etatum suarum canos. Maturitatem gravitatis, velamen pudoris, quod devotionem non impediat, religionem augeat. Denique domini matrem cum exsequentibus quia quotannis in die sollempni pasche sancta MARIA cum Ioseph Ierusalem petebat. Ubique impigra devotio, ubique assiduus virginum comes pudoris adiungitur. Nec inflammatur diu maturitas quasi secura demeritis, sed quod meritum maturitatis agnovit, eo votum uberius exsolvit. Officium copiosius detulit munus religiosius, vicarium ministerii tempus implevit. Quamobrem quas vos magis convenit intentas esse studio castitatis, ne locum sinistre relinquatis opinioni, que pudicitie testimonium in solis habetis moribus. Virgo enim licet mea quoque maior sit morum prerogativa quam corporis, calumpniam tamen integritate carnis abiurat. Vidua que probande subsidium virginitatis amiserit, non invocet obstetricis, sed in suis moribus habet castitatis examen. Docuit quam septa quasi attente vidue esse debeant et religiosius affectu. Docuit etiam libro eodem sed alio loco quam misericordem in pauperes et liberalem esse conveniat, nec paupertatis debere contemplatione revocari, quia liberalitas non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. Denique dominica voce illa vidua omnibus antefertur de qua dictum est: vidua hec plus omnibus misit. In qua moraliter dominus instituit universos, ne quis a collatione ministerii paupertatis pudore revocetur, nec sibi divites blandiantur quod plus videantur conferre quam pauper. Uberius est enim nummus e parvo quam thesaurus e maximo, quia non quantum detur, sed quantum resideat expenditur. Nemo plus tribuit quam qui sibi nichil reliquit. Quid tu dives comparatione egeni te iactas, et cum tota onereris auro, preciosam per humum trahens vestem, quasi inferior tuis ac parva divitiis honorari desideras, quia inopem collatione vicisti? Et flumina superfluunt cum redundant, gratior tamen haustus e rivulo est. Spumant et musta diffluunt, non dampnum putat agricola quod defluxerit. Gementibus areis dominus ceduntur messes. frumenta